

*mox tamen
post suum
obitum cum
utroque
prædecessore
et successore
devotione
populari
celebratus,*

*simul cum
S. Damasoco
lebatur olim*

2. *Nihilominus tamen ex Actis coævis, quæ in-
ferius edituri sumus, satis manifeste patet paulo
post mortem S. Masonæ celebrem fuisse Emeritæ
ejus cultum. Leguntur hæc Acta in libro mox citan-
do De vitis sanctorum Patrum Emeritensium; ubi
post narratam historiam episcoporum Emeriten-
sium qui sibi ex ordine in hac sede successerunt
seculo sexto et ineunte septimo, inter quos tertius est
Masona, suam narrationem concludit scriptor his
verbis: Horum igitur supradictorum sanctorum
corpora in una eademque cellula haud procul ab
altario sanctissimæ virginis Eulaliae honorifice tu-
mulata quiescunt. Ad quorum denique veneranda
sepulcra tantam Christus quotidie copiosæ pietati-
tis confert gratiam ut quacumque fuerit quispiam
ægritudine convexatus, quocumque etiam fuerit
languore afflictus, statim ut divinum numen illic
toto corde deposcerit, omnes a se morbos dis-
cussos omnesque maculas pulsas divinitus sen-
tiens, sanus hilarisque ad cupitam per Dei gratiam
pervenit sanitatem (1). En habes concursum po-
puli ad sepulcrum et famam miraculorum, quod
utrumque validum ecclesiastici cultus indicium
esse videtur, ubi de antiquis temporibus agitur.*

3. *Quum itaque ex traditione majorum non præ-
termittendi sint in Actis nostris sancti qui antiqui-
tus publico cultu in aliqua ecclesia gavisi sunt, etsi
is cultus usque ad dies nostros non perseveraverit,
jam appareat ratio cur nec S. Masona et uterque ejus
decessor, cum utroque item successore, a nobis præ-
termittantur. Ceterum et his sanctis facile accidere
potuit quod et aliis quibusdam qui primis medii
ævi seculis in Hispania floruerunt, quorum scilicet*

(1) *De Vit. PP. Emerit., n. 51.*